

PONTIFICIA COMMISSIONE  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

# COMMUNICATIONES

VOL. II - N. 1

---

1971

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1971

## EX ACTIS PAULI PP. VI

Litterae apostolicae: <i>Causas matrimoniales</i> . . . . .	3
Adhortatio apostolica: <i>Quinque iam anni</i> . . . . .	8
Allocationes:	
I. Ad sodales «Giovani Avvocati» . . . . .	17
II. Ad Em.mos PP. Cardinales, recurrente Nativitate Domini . . . . .	19
III. Ad Praelatos Auditores S. Romanae Rotae . . . . .	21
IV. Ad Delegatos Confer. Episcopali ex Europa . . . . .	29
V. <i>Sapientia paenitentiae</i> . . . . .	31
VI. <i>Libertas in fide</i> . . . . .	33

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

<i>S. Congr. pro Doctrina Fidei</i>	
Nova agendi ratio in doctrinarum examine	37
<i>S. Congr. pro Clericis</i>	
De cura patrimonii historico-artistici Eccle- siae . . . . .	40

## *S. Congr. pro Institutione catholica*

De coëducatione in scholis secundi ord. sub relig. moderatione . . . . .	43
---	----

## ACTA COMMISSIONIS

Litterae quibus schema Legis Ecclesiae fun- dam. Episcopismittitur . . . . .	45
Coetuum studiorum labores . . . . .	47
Opera Consultorum	
I. De Lege Ecclesiae fundamentali . . . . .	50
II. De matrimonio . . . . .	69
III. De recognoscendis Normis Generalibus Codicis I. C. . . . .	81

## DOCUMENTA

I. Praesentatio diurnariis Litt. Apost. <i>Cau-         sus matrimoniales</i> . . . . .	95
II. Commentarium in <i>L'Osservatore Roma-         no</i> de Motu proprio <i>Causas matrimo-         niales</i> . . . . .	101
NOTITIAE . . . . .	107

Quoad formam liturgicam celebrationis matrimonii, servata substantia canonis 1100, proponitur altera paragraphus, scilicet Conferentias Episcoporum facultatem habere, probante Sede Apostolica, exarandi ritum proprium matrimonii, congruentem locorum et populorum usibus ad spiritum christianum aptatis; firma tamen lege ut minister sacer assistens praesens requirat manifestationem contrahentium consensus eamque recipiat.<sup>3</sup> De ritu benedictionis nuptialis, qui ad ritum ipsius celebrationis matrimonii non pertinet, nihil in novo iure Codicis statuere placuit. Quod autem attinet ad ritum celebrationis in matrimonii mixtis servandum, iam satis provisum videbatur in canone 1100. (Petrus Huizing, *Relator*).

## III

## DE RECOGNOSCENDIS NORMIS GENERALIBUS CODICIS I.C.

Liber I Codicis I.C. vigentis, qui inscribitur *Normae generales*, regulas seu normas tradit generales universum ius Ecclesiae latinae moderantes. Praescripta quaedam praebet quae in singulis eiusdem Codicis canonibus sunt attendenda atque in omnibus Ecclesiae latinae ordinationibus, tum universalibus tum particularibus sunt servanda. Primo quidem ad modum prooemii, sine rubrica speciali, definiuntur ambitus et efficacia iuridica Codicis I.C. Deinde subsequuntur sex tituli, sub quibus agitur de legibus (tit. I), de consuetudine (tit. II), de temporis supputatione (tit. III), de rescriptis (tit. IV), de privilegiis (tit. V) et de dispensationibus (tit. VI). Titulus primus et secundus, de legibus et de consuetudine, versantur circa fontes quibus statuuntur praescripta iuris communia, ab omnibus scilicet servanda qui iisdem in conditionibus de facto sunt, de quibus normae statuuntur. Titulus tertius, de temporis supputatione, titulus quidem intermedius, principia exponit generalia quibus fines terminorum sunt aestimandi eorumque supputatio est facienda; eorum definito requiritur ad determinationem efficaciae iuris communis, praesertim vero iuris specialis. Titulus quartus, de rescriptis, de documentis tractat quibus communiter tale ius speciale, pro certis tantum personis statutum, conditur, aut relaxatio

<sup>3</sup> Constitutio de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 63b, 77; S. C. Rituum, Instructio ad executionem constitutionis de Sacra Liturgia recte ordinandam, 26 sept. 1964, nn. 70-75; S. C. Rituum, Decretum circa ordinem celebrandi matrimonium, 19 mart. 1969, nn. 12, 17, 18; cfr. supra p. 9 Caput VI. *De forma canonica celebrationis matrimonii*.

legis in casu particulari conceditur. Titulus quintus, de privilegiis, de ipso hoc iure speciali seu exceptionali, in favorem certarum personarum, constituendo tractat, et tandem titulus sextus principia tradit quibus regitur relaxatio legis in casu particulari, seu dispensatio.

Alius autem titulus propositus est, scilicet alia inscriptio huius Libri I, a Coetu consultorum cuius est in studium incumbere ordinis systematici novi Codicis. Secundum Schema ordinis systematici adumbratum quod propositum est, in primo Libro vel prima parte novi Codicis tradenda est: *Legislatio de fontibus iuris atque de actibus administrativis qui influunt in conditionem iuridicam personarum.*<sup>1</sup> In prima hac Codicis parte, tradendae certo sunt normae de fontibus iuris, sensu stricto accepti, scilicet normae de legibus atque de consuetudinibus.

Praeterea autem, uti unanimiter a consultoribus coetus admissum est, normae statui debent de vi et efficacia illorum qui ab auctoritate ecclesiastica competenti emanant actuum iuridicorum, qui leges non sunt aut leges non vocantur, qui vero et ipsi influxum habere nati sunt in conditionem iuridicam personarum. Hi actus plerique indolem administrativam p[re]se ferunt. Tales sunt *rescriptum, privilegium* per actum particularem concessum et *dispensatio*, de quibus iam regulas tradit Codex I.C. Tales etiam sunt *instructiones*, quae ad legum declaracionem dantur, itemque *praecepta* singulis data, de quibus agit Codex I.C. in can. 24, immo et *praecepta communia* quibus applicationi normarum iuris prospicitur, de quibus Codex I.C. regulas non profert. Tales tandem etiam sunt *decreta particularia* sicuti et *decreta generalia executionis*, quae vero apte distinguantur oportet a decretis quae vim legis habent. Multis quidem proderunt praescripta certa, quibus illorum actuum iuridicorum determinatur natura propria atque efficacia quibusque definitur quaenam in genere auctoritates ecclesiasticae eosdem edere valent. Vocabulorum ita insimul proprius sensus definitur, ut certus et constans haberi possit eorum usus, tum ex parte eorum qui potestate pollent tum ex parte eorum qui declarationi praescriptorum operam dant. Hac eadem ratione utile visum est ut de aliis quoque actibus iuridicis statuantur quaedam praescripta, scilicet de *statutis* et *ordinibus*.

Constantia in usu verborum magni momenti est in iure. Opportunum ideo aestimari potest ut in Codice recognito habeatur titulus de *verborum significatione*. Hic titulus, qui in antiquis Decretalium col-

<sup>1</sup> Cfr. *Communicationes* 1, 1969, p. 111.

lectionibus occurrebat,<sup>2</sup> etiam hodie in legibus pro Ecclesiis Orientalibus iam promulgatis praesto est.<sup>3</sup> Talis titulus deest in Codice I.C., qui generatim tradit significationem verborum, prout in ipso usurpanatur, ubi primum in eodem usu veniunt. Hac de causa, can. 7 Codicis I.C. definit sensum verborum « *Sancta Sedes, Sedes Apostolica* », quae per totum Codicem occurrunt. Eadem ratione titulus « *de suppeditatione temporis* » post titulos de legibus et de consuetudine, quae de se perpetuae aut stabiles sunt, ponitur, ante titulos de rescriptis, de privilegiis et de dispensationibus, quae quidem saepe ad tempus determinatum conceduntur. De multorum sententia quidem, in Codice recognito habeatur oportet titulus de verborum significazione. Probabiliter talis titulus habebitur, sed etiam si habetur, necesse est ut in Parte I statuantur normae de certis actibus iuridicis indolis administrativae, quorum quidem non sensus tantum sed et efficacia iuridica definita est.

*Canones qui Prooemium* Codicis I.C. constituunt, quibus nempe Codicis ambitus determinatur, hucusque non sunt recogniti. Cum Codex I.C. recognoscendus sit Codex Ecclesiae latinae, dubium non esse videtur quin servandum sit praescriptum can. 1, vi cuius Codex recognitus quoque unam respiciet Ecclesiam latinam, nec per se Orientales Ecclesias obligabit. Haud dubie etiam servabitur praescriptum can. 2, cuius ratione Codex non intendit, generatim saltem, decernere quae ad ritus et caeremonias spectant, ita ut ius stricte liturgicum in Codice non contineatur, sed in probatis liturgicis libris. Nec ambigendum est quin praescriptum can. 3 Codicis I.C. servetur, cum conventiones Sanctam Sedem inter et varias Nationes initiae denuntiatione unilaterali ab Ecclesia per se revocari nequeant atque ideo leges ecclesiasticae, particulares scilicet, ad exsecutionem talium conventionum latae, lege ecclesiastica abrogari non possint. Tandem in novo Codice procul dubio habebitur praescriptum simile normae can. 4 Codicis I.C., vi cuius integra per se manent iura quaesita, immo et privilegia non expresse revocata. In canonibus 5 et 6 Codicis I.C. determinatur vis et efficacia Codicis relate ad ius superius, scilicet ad ius consuetudinarium (can. 5) et ad ius scriptum universale et particulare (can. 6) quod ante Codicem vigebat. Normae aliquae etiam in novo Codice statui debent, quibus vis novi Codicis definitur relate ad ius Codicis I.C. a. 1917, immo et ad ius ante hunc Codicem vigens. Ut iam dictum est, non iam sunt

<sup>2</sup> X, V, 40; VI<sup>o</sup>, V, 12; Clem., V, 11; *Extrav. Iob.* XXII, t. 14.

<sup>3</sup> Motu Proprio *Postquam Apostolicis Litteris*, 11 febr. 1952, Pars III, can. 302-325. A.A.S. 44, 1952 pp. 144-150.

compositae tales normae, sed proponentur postquam diversa schemata legislationis recognitae, saltem pleraque, praesto erunt.

#### I. DE FONTIBUS IURIS

De fontibus iuris agitur, non secus ac in Codice I.C., sub duplice titulo *de legibus et de consuetudine*.

##### 1. SCHEMA NORMARUM DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS

In hoc schemate servantur quoad substantiam praescripta quae in Codice I.C. habentur. Agit schema de solis legibus *ecclesiasticis*, omessa lege aeterna et lege divina naturali ac positiva, quarum quidem consideratio ad disciplinas philosophicas et theologicas, non vero ad ius canonicum spectat. Ulterius leges ecclesiasticae attenduntur quatenus obligationem inducunt coram societate, non autem quatenus obligationem pariunt in conscientia tantum, quippe cuius determinatio ad theologiam moralem pertineat. Immo, sicuti in Codice I.C., ita etiam in schemate legislationis recognitae, traduntur tantummodo *normae practicae* de legibus ecclesiasticis, non vero principia fundamentalia de natura ipsius legis; principia enim haec sunt ordinis philosophici, et, licet scitu necessaria sint ad pleniores cognitiones notionis iuridicae legis, ipsius iuris positivi non est eadem definire. Proprium enim legis positivae est tantum in ordine ad bonum commune statuere quae ad legum institutionem iuridicam, eiusdem promulgationem, efficaciam, interpretationem, suppletionem necnon eius cessationem spectant. Ideo, uti in Codice I.C., etiam in schemate Codicis recogniti, paucis tantum canonibus tota materia de legibus ecclesiasticis absolvitur. Substantia disciplinae Codicis I.C., uti dictum iam est, servatur. Aliquae tamen introducuntur mutationes, de quibus modo breviter agere iuvat.

1. *Ad institutionem legum* quod attinet, servatur principium Codicis I.C., vi cuius leges instituuntur, cum promulgantur. Promulgatio quidem necessaria est ut leges iuridice obligare possint. Ad modum promulgationis quod spectat, determinatur *leges Ecclesiae universales* (non dicitur ut in Codice: leges ab Apostolica Sede latae), promulgari per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi aliis modis praescribatur. Attamen, ad petitionem quorundam, additur praescriptum, vi cuius earundem legum textus tempore opportune communicabitur cum Episcoporum Conferentiis, et, si specialiter religiosos respiciunt, etiam Supremis Religionum moderatoribus, ut leges eodem fere tempore quo in Urbe, etiam in variis territoriis divulgari

valeant, textus autem divulgari non poterit, nisi postquam leges ad normam iuris promulgatae sunt.

2. *Ad subiectum passivum legum ecclesiasticarum in genere* quod attinet, in recognito textu can. 12 determinatur, non quidem modo negativo, uti fit in can. 12 Codicis I.C., decernendo nempe quinam non iisdem tenentur, sed *modo positivo*, statuendo scilicet quinam iisdem obligantur. Magis logicae conveniens visa est talis determinatio positiva, quae insuper normam magis distinctam et tutionem praebere videtur.

Proponitur imprimis ut textus sit: « Legibus mere ecclesiasticis tenentur soli *baptizati pro quibus latae sunt ...* ». Certo soli baptizati tenentur iisdem legibus, exclusis non baptizatis, ut in universa traditione receptum est. Non vero necessario omnes baptizati iisdem obligantur. Sane, legibus Ecclesiae obligari possunt omnes valide baptizati, quippe qui per baptismum in Ecclesiam Christi intraverint, atque baptimate, indelebili quidem, constituti sint in Ecclesia Christi subiecta iurium, sed et obligationum canonicarum. Attamen, ex legislatoris voluntate leges ferri valent ita ut iisdem obligentur solae personae baptizatae certae conditionis, vel etiam solae personae quae catholice baptizatae sunt aut ad plenam cum Ecclesia catholica communionem devenerunt.

Prosequitur textus propositus his verbis: « ... qui sufficienti rationis usu gaudent, et, nisi aliud iure expresse caveatur, qui septimum aetatis annum expleverunt ». Distinctius ita indicatur exceptionem « nisi aliud iure expresse caveatur » se referre ad solam requisitam aetatem atque hanc aetatem statui posse sive inferiorem sive superiorem septimo anno completo.

3. *Ad subiectum passivum legum particularium* quod spectat, plerumque retinentur praescripta can. 14 Codicis I.C., quae vero ordine magis logico disponuntur. Attamen, additur paragraphus, et quidem ut § 1, in qua statuitur: « Leges particulares non praesumuntur personales, sed territoriales, nisi aliud contest ». Regula haec, quae in Codice I.C. enuntiatur sub can. 8, § 2, de quacumque lege ecclesiastica, in textu proposito affirmatur de solis legibus particularibus. Re quidem vera, in universa historia, quaestio de legum indole territoriali aut personali, per respectum ad solas leges particulares ponitur, et de solis legibus particularibus proprie intelligitur. In § 2 eiusdem canonis, textus propositus enuntiat regulam, vi cuius peregrini, licet per se non teneantur legibus particularibus territorii in quo versantur, obligantur tamen legibus particularibus quae ordini publico consulunt aut

quae actuum sollemnia determinant, aut *quae res immobiles in territorio sitas* respiciunt. Haec enim quoque exceptio regulae, quae semper in doctrina recepta fuit, etiam post Codicem I.C. a commentatoribus admissa est.

Quae supra indicantur mutationes propositae, praecipuae esse videntur. Aliae tamen sunt, quibus id intenditur ut textus normarum maiorem certitudinem pariat utque vocabula iuridica constanter in eodem sensu usurpentur. Ad usum vocabulorum quod attinet haec notare iuvat: leges *universales* dicuntur quae pro universalis Ecclesia latina statuuntur, eisque opponuntur leges *particulares*, quae scilicet pro certo tantum territorio feruntur; leges *generales* nuncupantur quae pro omnibus christifidelibus dantur, cuiuslibet sint conditionis aut status, dum leges *speciales* vocantur quae pro specie aliqua seu certa categoria personarum statuuntur. Ut maior certitudo habeatur atque textus normam praebeat perfectiorem, canon 16, § 1, mutandus proponitur ut sequitur: « Ignorantia legum irritantium aut inhabitantium, *sicut et aliae causae quae imputabilitatem minuunt vel tollunt*, licet a culpa excusare possint, *earundem tamen effectum minime impediunt*, nisi aliud expresse statuatur ». Aliae quidem mutationes, in modo dicendi praesertim, proponuntur, sed quae pariter maiorem claritatem textus maioremque certitudinem normae intendunt.

## 2. SCHEMA NORMARUM DE CONSUETUDINE

Etiam in hoc schemate canonum de consuetudine, servantur quoad substantiam praescripta quae de eadem habentur in Codice I.C. Mutationes quae proponuntur in textu Codicis I.C. facienda, id intendunt ut ordine magis logico varia praescripta enuntientur atque ut, modo dicendi exhibito, immo et ipsa regula praescripta, magis affirmetur pars quam in iure consuetudinario efformando habet ipsa communitas christianorum.

Canon primus huius tituli principium enuntiat, in can. 25 Codicis I.C. affirmatum, hisce autem verbis: « In Ecclesia ea tantum consuetudo a *communitate christiana introducta* vim legis habet, quae a legislatore approbata fuerit, ad normam canonum qui sequuntur ». Subsequuntur deinde canones, quibus determinantur quae requisita sunt ut consuetudo vim legis habere possit. Ratione materiae seu obiecti consuetudinis, requiritur ut non sit iuri divino, sive naturali sive positivo, contraria atque ut sit rationabilis. Ratione communitatis christifidelium, exigitur ut haec legis saltem recipienda sit capax utque consuetudinem observet cum animo iuris inducendi, sive agatur de consue-

tudine contra ius sive de consuetudine praeter legem canonicam. Ad approbationem consuetudinis a competenti legislatore quod attinet, expresse in canone recognito affirmatur hanc approbationem dari posse sive *specialem*, consensu nempe tacite saltem manifestato a legislatore, sive *generalem*, i.e. legalem. Haec vero approbatio legalis, vi cuius legislator qui non specialiter manifestavit suum consensum certo tempore elapso cessetur probare consuetudinem, secundum canonem recognitum, adesse censenda est, si legitime per annos *viginti* continuos et completos (in Codice I.C. exiguntur quadraginta anni) servata fuerit consuetudo, nisi tamen agatur de consuetudine contra legem canonicam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem. Canones 29 et 30 Codicis I.C. immutati remanent.

## II. DE QUIBUSDAM ACTIBUS ADMINISTRATIVIS

In hac altera Libri primi parte, praescripta proponuntur de actibus iuridicis, qui aut semper aut saepius indolem administrativam habent quorumque plerique saltem influunt in conditionem iuridicam personarum. In Codice I.C. praescripta habentur tantummodo de praceptis singulis datis (can. 24) de rescriptis (can. 36-62), de privilegiis (can. 63-79) et de dispensationibus (can. 80-86). In textu recognito qui proponitur de quibusdam aliis actibus iuridicis quoque praescripta habentur.

### 1. DE RESCRIPTI

Canon qui proponitur primus tituli enuntiat regulam, vi cuius quae in canonibus qui sequuntur de rescriptis statuuntur, de concessonibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto contest. Nova haec regula generalis requiri videtur, ut certitudo habeatur etiam de concessionibus vivae vocis oraculo factis.

De rescriptis deinde proponuntur praescripta quae regula generali convenient cum praescriptis ipsius Codicis I.C.; aliquae tamen innovationes proponuntur.

Harum innovationum quaedam eo valent ut generaliore regula rimae (seu lacunae) expleantur quae in quibusdam Codicis canonibus occurrunt. Ita v.g., dum in Codice I.C. statuitur rescripta tum Sedis Apostolicae tum aliorum Ordinariorum impetrari libere posse ab omnibus qui expresse non prohibentur (can. 36, § 1), in schemate proponitur regula

vi cuius rescripta *a quacumque auctoritate*, intra fines suee competentiae agente, impetrari libere possunt ab omnibus qui expresse non prohibentur.

Aliae innovationes propositae praescripta Codicis I.C. nonnulla, quae quidem nimis implicata videntur, non sine detimento claritatis, ad simpliciorem formam redigunt. Ita unus componitur canon, distinctius, ut videtur, exprimens praescripta quae in Codice enuntiantur in canonicis 40, 41, 42 et 45.

Aliae mutationes disciplinam Codicis I.C. complent, eam aptando novis quae a Concilio Vaticano II introductae sunt institutis. Ita dum can. 44, § 2 et 3 Codicis mentionem facit de solis vicariis generalibus, canon recognitus regulam praebet de rescriptis quae impetrantur tum a vicariis generalibus tum a vicariis episcopalibus, et quidem inserendo praescripta quae habentur in Motu Proprio « Ecclesiae Sanctae », quo normae ad quaedam exsequenda SS. Concilii Vaticani II Decreta statuuntur, d. 6 augusti 1966 (A.A.S. 58, 1966, pp. 757-787), in parte I, Art. 14, § 4.

Tandem additur nova norma, quae usum rescriptorum respicit, vi cuius nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concesso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur. Et huius normae ratione, omitti possunt in can. 37 Codicis verba « ... et licet ipse possit gratia per rescriptum concessa non uti ... », quarum quidem declaratio aliquibus difficultatibus ansam praebuit.

## 2. DE PRIVILEGIIS

In normis de privilegiis quae proponuntur, innovatio proponitur magni momenti iuridici, quae vero ad maiorem claritatem notionum ducet. Secundum ius Codicis I.C., privilegia acquiri possunt non tantum per directam concessionem competentis auctoritatis, et per communicationem, sed etiam per legem, legitimam consuetudinem aut praescriptionem (cfr. can. 63, 71). Haec vero regula non paucis ansam praebuit difficultatibus, in specie ad definiendam privilegii notionem, et confusione nonnumquam locum dedit. Sic dicta privilegia per legem concessa, materialiter tantum vocari valent privilegia, quia nempe inducunt statutum favorable; *formaliter* autem talia privilegia simpliciter sunt leges, leges scilicet speciales, utpote pro certa personarum categoria favorem seu favorable statutum inducentes. Formaliter cum sint leges, reguntur normis generalibus de legibus. Similiter, sic dicta privilegia per consuetudinem introducta, formaliter sunt consuetudines, favorabiles quidem,

et reguntur praescriptis Codicis de consuetudine. Privilegia quae dicuntur acquisita per praescriptionem, sunt iura subiectiva acquisita, et dicenda sunt regi per praescripta quae iura subiectiva per praescriptionem acquisita respiciunt. Ad privilegia per communicationem acquisita, de sententia omnium consultorum, haec supprimenda sunt, vel potius talis modus privilegia acquirendi in novo iure supprimendus est.

Remanet ergo ut privilegium, sensu iuridico proprio, sint sola privilegia per actum particularem auctoritatis competentis concessa, a.v. per actum administrativum auctoritatis competentis concessa, et quidem in favorem certae personae physicae aut iuridicae, vel certarum personarum physicarum aut iuridicarum. De his igitur solis privilegiis normae tradendae sunt et revera proponuntur sub titulo recognito de privilegiis. Leges et consuetudines, quibus favor seu statutum favorable inducitur in beneficium omnium personarum alicuius categoriae, iuridice leges et consuetudines cum sint, simpliciter regendae sunt normis generalibus de legibus et de consuetudine.

Quare loco regulae canonis 63, § 1 Codicis I.C., proponitur praescriptum quod sequitur: « Privilegia, seu gratiae contra aut praeter ius in favorem certarum personarum, sive physicarum sive iuridicarum, per peculiarem actum factae, a sola auctoritate competenti concedi valent ». Nomine ergo privilegii solummodo venit privilegium a competenti auctoritate concessum per actum particularem, scilicet per actum administrativum; et competens ad privilegium concedendum dicenda est auctoritas quae potestate exsecutiva in Ecclesia gaudet, intra fines suaे competentiae.

Admissa hac privilegii notione, ceteri canones eidem aptandi sunt et in schemate aptati proponuntur.

De privilegiis autem ita intellectis, praescripta quae in Codice I.C. habentur, plerumque retinenda proponuntur. Eorum tamen quaedam ad simpliciorem formam rediguntur. Ita unus fit canon ex Codicis canonibus 67 et 68; unus item fit canon ex Codicis canonibus 70, 74 et 75.

Praeterea, nonnulla praescripta forma clariore enuntiantur atque diversa de privilegiis praescripta ordine magis logico proponuntur.

### 3. DE DISPENSATIONIBUS

Dispensatio, cum, iuxta definitionem traditione receptam et Codicis I.C. canonem 80, sit *legis ecclesiasticae in casu speciali relaxatio*, est actus particularis, actus scilicet qui hodie dicitur actus administrativus. Sane, saeculis anteactis cum in scientia canonica cognita vel

saltem recepta non fuerit distinctio inter tres functiones potestatis regiminis, scilicet distinctio in potestatem legislativam, potestatem exsecutivam (ad actus indolis administrativaे ponendos) et potestatem iudicialeм, dispensatio intelligebatur ut actus potestatis legislativae et haud raro definiebatur actus potestatis iurisdictionis cum potestate legislativa connexus aut exercitium non plenum potestatis legislativae. Hodie distinctio inter tres functiones potestatis regiminis etiam in iure canonico admittitur et admittenda est. Quam enim stabilita sint « *Principia quae Codicis iuris canonici recognitionem dirigant* », in ordine ad iura christifidelium subiectiva debite tuenda necessarium aestimatur ut distinctio fiat inter diversas potestatis regiminis functiones: « Admissum hoc principio, potestatis ecclesiasticae clare distinguantur diversae functiones, videlicet legislativa, administrativa et iudicialis, atque apte definiantur a quibusnam organis singulae functiones exerceantur ».<sup>4</sup>

Dispensatio vero cum sit actus particularis indolis administrativae, sustineri non potest norma can. 80 Codicis I.C., vi cuius dispensatio a solo legislatore eiusve Superiore concedi valet. Itaque aptata proponitur in schemate norma, cuius ratione dispensatio concedi potest ab iis qui potestate gaudent exsecutiva, intra limites suae competentiae, nec non ab illis quibus potestas dispensandi explicite vel implicite competit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis. Exemplum dare iuvat. Episcopus dioecesanus, cum in Ecclesia particulari sibi commissa gaudeat potestate tum legislativa, tum exsecutiva tum iudicali, concedere potest dispensationem in propria lege, scilicet in lege dioecesana. In eadem vero etiam dispensare potest Vicarius generalis, necnon intra ambitum suae potestatis, Vicarius episcopal, nisi pro certis legibus potestatem dispensandi sibi reservaverit Episcopus dioecesanus aut ipsum ius commune. Vicarius enim generalis, itemque, quoad causas sibi commissas, Vicarius episcopal, qui quidem potestate legislativa non pollent, potestate exsecutiva ordinaria in dioecesi gaudent.

Ad potestatem dispensandi Episcoporum dioecesanorum quod attinet, affirmatur etiam eorundem potestas dispensandi a legibus Ecclesiae universalibus necnon a legibus a supra Ecclesiae auctoritate pro eorum territorio latis,<sup>5</sup> atque remittitur ad normam quae habetur sub

<sup>4</sup> Cfr. *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant*, 7, in « *Communicationes* » 1, 1969, p. 83.

<sup>5</sup> Decreto *Christus Dominus*, n. 8, b) declarato quidem per Motu Proprio *De Episcoporum munib⁹*, 15 iunii 1966 (A.A.S. 58, 1966, pp. 467-472), Episcopis dioecesani per se conceditur potestas dispensandi a legibus Ecclesiae universalibus. In schemate proposito, extenditur haec potestas, ita ut complectatur etiam competentiam dispensandi a legibus particularibus S. Sedis, quae pro territorio Episcopo concredito vigent.

titulo « De Episcopis dioecesanis » schematis recogniti, qua pressius eadem dispensandi potestas determinatur. Verumtamen, cum potestas quae Episcopis dioecesanis ita competit non sit illimitata, et dispensatio a certis legibus universalibus servari possit Apostolicae Sedi aliive auctorati, servatur praescriptum can. 81 Codicis I.C.: norma huius canonis valet etiam si dispensatio reservetur Sanctae Sedi.

Certum autem est non ab omnibus legibus dispensari posse. Dispensatio enim ne quidem intelligitur a legibus, quae elementa definiunt quibus instituta quaedam aut actus iuridici essentialiter constituuntur; non intelligitur v.g. dispensatio a lege quae ad validum contractum requirit consensum partium, sicuti nec a lege quae ad constituendum domicilium voluntarium requirit commorationem. Norma igitur proponitur, vi cuius dispensationi obnoxiae non sunt leges, quatenus definiunt ea quae institutorum aut actuum iuridicorum essentialiter sunt constitutiva.

Tandem, norma etiam proponitur determinans personas in quas potestas dispensandi exerceri valet. Talis norma in Codice I.C. deficit. Vi normae propositae, qui gaudet potestate dispensandi eam exercere valet etiam extra territorium exsistens, in subditos, licet e territorio absentes, atque, nisi contrarium expresse statuatur, in peregrinos quoque in territorio actu degentes.

Quae supra indicantur praecipuae sunt innovationes in normis generalibus de dispensationibus, uti proponuntur. Certo certius momento non carent, et ad maiorem certitudinem deducent. Cetera vero praescripta de dispensationibus quae in Codice I.C. habentur, etiam in schemate servantur.

#### 4. DE PRAECEPTIS

In Codice I.C. de solis praceptis singulis datis norma habetur (can. 24). Nulla vero datur norma de praceptis communibus, quibus quidem non introducitur ordinatio communis nova, sed applicationi normarum iuris prospicitur. Dantur ad exsecutionem normarum iuris curandam. Sunt et ipsa actus naturae administrativae, non secus ac praecpta singulis data, quae etiam ad exsecutionem normarum iuris curandam feruntur.

In schemate proposito canonum de praceptis, imprimis affirmatur eadem dari posse, intra fines suae competentiae, ab iis qui potestate gaudent exsecutiva.

Deinde norma traditur de praceptis vi potestatis regiminis singulis datis, similis quidem normae can. 24 Codicis I.C., licet non eadem omnino.

Subsequuntur normae de praceptis communibus, quae vi potestatis regiminis dantur in quibus determinatur quinam talibus praceptis tenentur, et in quibus agitur de eorundem cessatione atque de eorum necessaria promulgatione necnon de eorum vacatione.

Tandem denique norma etiam proponitur de praceptis quae alia potestate quam regiminis data sunt.

##### 5. DE INSTRUCTIONIBUS ET DE DECRETIS

a) *Instructiones*, uti ex praxi appareat, sunt magni momenti, et tamen nulla de iisdem habetur in canonibus Codicis I.C. norma. Earum vero indoles iuridica propria quodammodo significatur in Motu Proprio Benedicti Pp. XV *Cum Iuris Canonici Codicem*, d. 15 septembris 1917, quo instituitur Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos atque Sacrarum Romanarum Congregationum competentia in genere definitur. Harum Congregationum munus ordinarium, secundum dictum Motu Proprio, est « tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *Instructiones*, si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praceptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant ». Vocantur quasi explanationes et complementa canonum. Earum indoles ut determinetur, attendi etiam potest notio quam de iisdem proponunt leges societatum civilium earumve commentatores.

Hisce consideratis, instructiones dici possunt actus vel documenta quae legum praescripta declarant atque rationes in iisdem exsequendis servandas evolvunt, quae vero ad usum dantur eorum quorum est curare ut leges exsecutioni mandentur. Sunt actus indolis administrativae. Legibus, quas declarant, derogare non valent. Breviter de iisdem agit schema propositum.

b) *Decreta*, in iure canonico, non uno sensu intelliguntur. Nomine enim decreti significantur sive leges quaedam sive actus administrativi, quibus de exsecutione legum curatur.

Verae leges procul dubio sunt decreta uti vocantur, quibus praescripta communia a certis legislatoribus feruntur: ita, decreta Concilii oecumenici disciplinaria, decreta Conciliorum particularium, immo et decreta quae intra fines suae competentiae et servatis conditionibus praescriptis, ferunt Episcoporum Conferentiae. Vim legis quoque habent s.d. *decreta generalia* quae vi potestatis sibi a legislatore competenti

commissae servatisque conditionibus in actu commissionis statutis, ferunt aliqua organa, quorum quidem ordinarium munus tantum est exsecutioni legum prospicere.

Actus administrativi, e contra, sunt decreta, tum *particularia* tum *generalia exsecutoria*, quibus nempe pressius determinantur modi in lege applicanda servandi atque legum exsecutio urgetur.

In canonibus schematis propositi, in quibus quidem variae acceptio-nes verbi *decretum* significantur, normae praesertim habentur de auctoritate competenti ad decreta exsecutoria, sive generalia sive particularia, ferenda, necnon de vi eorundem decretorum iuridica.

#### 6. DE STATUTIS ET ORDINIBUS

a) *Statuta*, licet nonnumquam hoc nomine vocentur leges quaedam a legislatore non supremo in Ecclesiae conditae (v.g. statuta dioecesana), in sensu proprio sunt quae in christifidelium *consociationibus*, sive publicis sive privatis, aut in *rerum universitatibus*, conduntur et vigent ordinationes. In normis schematis propositi, praesertim definitur quinam statutis proprio sensu intellectis obligantur et quaenam sit radix huius obligationis.

b) *Ordines* proprie sunt regulae servandae in personarum *conventibus*, sive conventus ab auctoritate ecclesiastica competenti sint edicti (v.g. Ordo Synodi Episcoporum), sive a christifidelibus libere advocati sint, necnon in aliis celebrationibus. Breviter in schemate proposito definitur quinam regulis Ordinis obligantur.

#### III. DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

Quasi ut appendix huius partis haberi potest schema canonum de temporis supputatione. In schemate proposito, supprimuntur normae quae habentur in can. 33 Codicis I.C. Norma enim § 1 huius canonis hodie, mutata cum sit disciplina de tempore Missae celebranda et de ieunio et abstinentia, vix applicationi dat locum. Norma vero § 2 eiusdem canonis, vi cuius ad tempus urgendi contractuum obligationes servandum est, nisi aliter expressa pactio conventum sit, praescriptum iuris civilis, non est nisi applicatio normae generalis, cuius ratione quae ius civile in territorio statuit de contractibus et de solutionibus, eadem etiam iure canonico in materia ecclesiastica per se servanda sint. Aliae autem normae Codicis I.C. de temporis supputatione quoad substantiam plerumque servantur in schemate proposito, sed ad simpliciorem formam rediguntur.

Conspectus ita traditus est schematis propositi legislationis de fontibus iuris deque certis actibus administrativis. Certo certius normae quae in schemate proponuntur ulteriori examini subiicientur, in quo ratio habebitur animadversionum et emendationum quas, distributo schemate, proponent praesertim qui ad easdem proponendas vocentur (Willelmus Onclin, *Relator*).